



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Nancei In Lotharingia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

Campaniæ Senefcalco: & in eo Comitatu primùm,  
 mox in Burgundiæ etiam Ducatu Proregi: magno  
 Franciæ Chambellano: Gallor. Helnetior. ac Ger-  
 manor. peditum Duci: turmæ centum cataphra-  
 ctor. equitum præfecto: Optimo Principi, patris  
 patriæ nomen adepto: parva insigni victoriâ de he-  
 reticis ad Sauernam Alfatia oppidum: & Burgun-  
 dis ac Belgis ciuibus conseruatis: immatura mor-  
 te, magno omnium dolore & luctu, extincto: An-  
 tonia vxor Borbonia, marito incomparabili: & vi-  
 filij pari pietate parenti optimè merito moestissi-  
 mi P. P. Vixit annos 54. M. 5. D. 26. an. P. Christum  
 natum 1550. prid. Idus April.

INSCRIPTIO ARGIS RE-  
 GIAE BLESIS.

*Hic vbi natus erat dextro LVDOVICVS Olympo,  
 Sumpfit honorata regia sceptrum manu.  
 Felix quæ tanti fulsit lux nuncia Regis,  
 Gallia non alio principe digna fuit.*  
 Faustus 1498.

NANCEI IN  
 LOTHARINGIA.

IN D. GEORGII.

**C**AROLVS hoc busto Burgundæ gloria gemis  
 Conditur, Europæ quæ fuit ante timor.  
**G**ANDA rebellatrix hoc plebs domitore cremata  
 Post patriæ leges, perpetue pressa iugo est.  
 Non minùs hunc sensit tellus LEODIN Acruenti,  
 Cum ferro & flammis vrbs populata fuit.

Monte

LOTHARINGIA.

653

Monte sub Heritio Francas cum rege cohortes,  
 In pauidam valido truserat ense fugam:  
 Hostibus expulsis Eduardum in regna locavit  
 Anglica, prima uo restituens solio.  
 Bella ducum, regumq; & Caesaris omnia spernens;  
 Totus in effuso sanguine letus erat.  
 Deniq; dum solitis fidit temerarius armis,  
 Atq; Lotharingo cum Duce bella mouet:  
 Sanguineam vomuit media inter praelia vitam,  
 Aureaq; hostili veller a liquit humo.  
 Ergo triumphator longæua in secula Renatus,  
 Palmam de tanto Principe victor habet.  
 O tibi, qui terras quaesisti CAROLE, cælum  
 Det Deus, & speretas ante pacis opes.  
 Nunc dic Nanceios cernens ex athere muros,  
 Aclemente ferox hoste recondor ibi.  
 Discite terrenis quid sit considerare rebus;  
 Hic totiens victor deniq; victus adest.

ALIUD IBIDEM.

Dux iacet hic CAROLVS, Belgarum illa ig-  
 nea virtus,  
 Cui Mauors dederat bella gerenda pater:  
 Quem timuit subitis animosus Gallus in armis,  
 Cuiq; Alemannorum terga dedere duces.  
 Quiq; animum Hesperias bellis agitabat in vrbes,  
 Sed subito inuertit fors truculenta viam.  
 Nam cum Ranerium bello sibi prouocat hostem,  
 Occubuit fuso milite stratus humi.  
 Qua ne tanta viri laus intestata iaceret:

T t

Hoc

*Hoc victor victi condidit ossa loco.*

**ECCE Leo cecidit, iam pax qv̄as ita vigeblt.**

*Corporis reliquias hinc transferrī curavit Maria Caroli V.  
August. soror an. 1550. & Brugis, Flandrorum sumptuo-  
sissimo campani monumento.*



**POLONICA,  
CRACOVIAE.**

**IN CRACOVIAM IVL. CAES.  
SCALIGER.**

**M**artia Sarmaticis tētata CROATIA nim-  
Arcigeri pugnax spicula fregit equi. (bis  
Hinc belli fortunam armis, finemq; sequuta  
Germana Hercinijs expulit arma iugis.  
Quaq; patet solis fugiens Lituania campis  
Victrici imposuit Martia signa manu.  
Moscovijsq; docet, Turcisq; augusta trophaeis,  
Vicinis quantum sit bene tuta quies.  
Tessera certa manu stat belli, & pacis: vtramvis  
Si des, accipiam: vel cape, namq; dabo.

**INSCRIPTIONES.**

SIG. Augusto, Sig. F. Casim. N. Iagellonio,  
Poloniarum regi, & magno Lituaniæ ac reliquæ  
Sarmatiæ Duci ac Domino, qui accisis R. R. vecti-  
galibus recuperandis, & Lituanijs ac Prussis ad re-  
gni corpus aggregandis, vindex dici meruit le-  
gum pub. Regi ipsi, & regum filio, nepoti, pronep.  
abnep. qui nulla suscepta ex tribus vxoribus sobo-  
le, eundem, heu, vitæ suæ, & stirpis ac Imperij Ia-  
gello-